

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Gebri Arabis Chimia

Geber

Lugduni Batavorum, 1668

Praeparatio Iovis in speciali

[urn:nbn:de:bsz:31-95581](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-95581)

specialem seu particularem cujuslibet corporis imperfecti præparationem, cum omnibus suis causis: etiamque perfecti corporis mineralis, & primo de Jove.

Præparatio Iovis in speciali.

PRæparatur Jupiter multipliciter, melius tamen per hunc modum. Ponatur in furno calcinationis in vase ad hoc apto, & fiat ignis subtus usque ad ipsius corporis fusionem. Movendo tunc ipsum corpus liquefactum spatula ferrea perforata & scoriam quam super ipsum causaverit extrahendo, & movendo in ignis calore æque perdurante, donec in superficie bona quantitas ipsius pulveris congregata. Deponatur tunc illa, & iterum moveatur, quousque alternata vice per frequentem illius motionem, seu scoriam abtractionem bonam quantitatem congregaverit ut prius; quod iterum inde deponatur: Et sic vice post vicem, donec totum corpus in pulverem subtilissimum reducatur. Cribretur ergo pulvis ille, & reponatur ad furnum, reddendo sibi ignem bonum; fusionem tamen non superantem, & multotiens movendo. Stet ergo in igne suæ calcinationis sic per diem naturalem, vel donec circiter tota humiditas accidentalis & superfluitas fuerit delicta, cum sulphure combustibili cor-

rumpente. Nam ignis omnem fugitivam substantiam & inflammabilem elevat & consumit. Postea extrahatur calx alba mundata de prædictis ; scilicet cum sale communi mundato & alumine , & cum aceto purificato & acerbo multum : Et ponatur ad solem vel ad aërem : & iterum teratur & lavetur , & desiccetur : & hoc alternatim vice per vices iteretur , donec per acuitatem salium , aluminum , atque acetii , tota ejus humiditas atque nigredo & immundicia fuerint consumpta & corrosa. Tunc apponatur de vitro trito cum his prædictis. Cumque totum impastatum fuerit , descendat per botum barbatum cum igne sufficienti. Descendet enim corpus purum & mundum , remanente cum vitro & salibus & aluminibus tota substantia terrea foetulenta. In illo enim corpore inundo descenso & reducto , est æqualis & perfecta proportio argenti vivi mundi & sulphuris albi non urentis. Nam ignis & corrosiva dividunt totam humiditatem , & substantiam fugitivam inflammabilem & corrumpentem , atque nigredinem. Per descensionem sive per pastillum salium & aluminum , & vitrum divisa est tota substantia terrea foetulenta cum sua proportione ; substantia pura & temperata remanente. Postea vero calcinetur iterum , hoc corpus reductum sublimato purum cum
solo

folo
te
cum
dat
vel
& b
nat
vel
vel
diff
rit.
gen
deb
ad
dic

P
do
ren
fur
per
tiv
les
da
me
da
&
ris

solo sale armoniaco & mundato. Cum autem bene & minutissime fuerit calcinatum cum sale armoniaco, subtiliatum & inundatum; donec fuerit in pondere æquali, vel circiter: tunc illud totum peroptime, & bene diu teratur super porfidum, & ponatur sub divo in loco frigido & humido, vel in vesicis vitreis in furno solutionis; vel in ventre equino; donec totum fuerit dissolutum, augendo salem, si necesse fuerit. Istam aquam reserva cum omni diligentia. Et quidem hanc aquam honorare debemus: ipsa enim est quam quærimus ad album. Et hæc de præparatione Jovis dicta nunc sufficiant.

De præparatione Saturni.

PRæparatio Saturni sic est: Ponatur similiter in furno calcinationis, movendo ut Jovem; donec convertatur in pulverem tenuissimum: cribretur, & ponatur ad furnum. Stet ibi in igne suæ calcinationis per modum prædictum, donec tota fugitiva substantia & inflammabilis fuerit deleta. Postea extrahatur calx rubea & munda: quæ imbibatur & teratur frequentissime & minutissime cū sale communi mundato, & atramento & cum aceto purificato & multum acerbo. Ista vero ad rubeum utaris, sicut ad album fecisti cum sale communi